

15. A. II, 22.

X 1880 772

n. 1, 8.

I. N. D. N. J. C.



DISPUTATIO PUBLICA,
DE
NATVRA
ET ORIGINE
JVRIS PVBLICI,

Quam

Divina favente gratia,

PRÆSIDE

*VIRO Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo
& Excellentissimo*

DN. JOHANNES SCHILTERO,

Jcto Celeberrimo, Inclytæ Reip. Argentoratensium
Consiliario Primario, ac Professore Honorario Illustris hu-
jus Universitatis meritissimo, Patrono, Præceptore ac Pro-
motore suo, omni honoris & obsequii cultu in
æternum devenerando,

Publico Eruditorum Examine submittit

Ad diem Feb. A. R. S. MDCXCIV.

JO. ERNESTVS LAMPRECHT.



ARGENTORATI,

Literis JOH. FRIDERICI SPOOR.

De Natura et Origine Juris publici Vol. XXIV. 7.



DISPUTATIO PUBLICA
DE
NATVRA
ET ORIGINE
IURIS PUBLICI

BIBLIOTHECA
ANAVIANA

UNIVERSITÄT
MAGDEBURG



ARGENTORATA
LUDWIG FRIEDERICI SPOR





LIBERALITATIS
OTTO NIANÆ
PRÆFECTI ILLUSTRÉS.



*Ec deceret, nec justum fo-
ret, Viri Illustrés, publi-
cam de jure publico con-
certationis aleam subire, ni*

A 2

caput

caput illustrium Vestrorum Nominum
 galeam tegeretur. Vestri favoris cly-
 peo armarentur manus, humeri ac pe-
 ctus tutelae Vestrae loricam ad quemcun-
 que ictum impervium redderetur, Vo-
 bisque Mæcenatibus beneficentissimis
 ad laureas messemque gloriae exsurge-
 ret animus: Enimvero si beneficia
 exhibita ex juris prudentum Oraculo
 fundant titulum gratitudinis; quibus
 potiore jure hoc gratitudinis monimen-
 tum, deberetur, quam Vestrae Muni-
 ficentiae? Fatali siquidem temporum
 iniquitate omnibus exutus bonis Justi-
 niano tergum vertere, ac necessitate
 cogente Martialibus tantisper studiis
 operam litare cogebar licet invitam:
 Quoad abjectam Sarissa Codicem repe-
 tere

tere statuerem, Præfagâ speraptus;
fore ut Vestrâ fatus gratia ab in-
fortunio respirarem: Veni: &
ecce, spem vicit Munificentia.
Suscipite igitur à cliente Vestro
hanc grati animi humillimæque
observantiæ tesseram: Indulgete
ut Vestro munitus Nomine are-
nam publicam animosus ingredia-
tur, gloriosus in ea progredia-
tur, ex ea egrediatur victorio-
sus. Date quoque (Vestram
imploro in clientes pietatem) ne
deficientibus subsidiis prius suâ-
met injuria, juris Athenæo vale-
dicere cogatur, quàm juris foro
excultus, jura Reipubl. Vestræ

* (1.) *



DE
NATURA ET ORIGINE
JURIS PUBLICI.

§. I.



V universa Jurisprudencia *Jus Publ.*
non simplicem legum & consue- *& Pr. publ.*
tudinum peritiam significat, *diff.*
quum scire leges non sit verba
earum tenere, sed & vim potesta-
temque, ut Celsus ait; Verum
prudentiam leges rectè interpre-

tandi, aut etiam emendandi, vel novas condendi,
itemque, de futuris gerendisque negotiis cavendi
consulentibus: Ita porro nec privatum Jus nec pu-
blicum alia ratione tractari oportet. *sed ratione;*
Habitus enim hic practicus, qui prudentia vocatur, duabus parti-
bus conficitur scientia legum atque Juris & dexte-
ritate leges condendi, conditas interpretandi, ad
casum dubium applicandi, easdem emendandi, & *non in hy-*
juxta earum normam res gerendas cautè accommo- *poth.*
dandi: prior est pars prudentiæ theoricæ, posterior
practica. Illa versatur circa juris quæstionem, & æqui-
honest.

Δ ;



sed in thesi. honestive: hæc etiam utilitatis & commoditatis rationem habet: prior rem ipsam considerat, posterior rei gerendæ circumstantias trutinat. Etsi enim jure aliquid fieri potest, sin tamen occasio commoda eò jure utendi non adest, prudenter differtur, vel alia via initur. Itaque etsi jus h.e. leges & consuetudines statum nostrum publicum concernentes, theoreticè explicari possunt & monita quoque prudentiæ seorsim; in usu tamen & applicatione juris neutra quæstio ab altera avelli debet, nec jus à prudentia. Quorsum maximè pertinet ratio Status, quæ vocatur, quæ generatim est ipsa praxis legum cognitarum & earum applicatio legitima ex re publica: speciatim verò dicitur prudentia mixta, extraordinaria, exorbitans, les coupes d'etat, quoties ex duobus malis minus eligitur ad tuendum statum publicum.

Ratio Sta-
1165

§. II.

J. Publ. Vel
commune
Vel

particulare
&
Politica
spec.

Porro sicut juris humani in universum Prudentia duas habet positiones & objecta, societatem ac conversationem hominum privatim ad singulorum utilitatem respicientem, quam jus privatim ordinat; itemque societatem civilem & cujusque Reip. Statum, quem jus publicum format: Ita & Juris privati & publici, de quo hæc est tractatio, quædam sunt communia nationibus aut certis, veluti Europæis, Orientalibus: Christianis, Barbaris: quædam omnibus, quod jus Gentium publicum universale constituit, sicut illa Jus Gentium publicum particulare, quod quibusdam Politica specialis sive prudentia civilis

civilis particularis dicitur. Quam aded dari atque
 revera existere constat, ut ex ea Politica universalis
 demum perficiatur. Ita enim vel Aristotelis exem-
 plo Philosophus per inductionem singulas Respu-
 blicas & veteres & sui temporis considerat, ut & re-
 gulas & monita universalia inde exstruat: igitur ex
Notitia Rerumpublic. singularum orta fuit Politica
 universalis. At quum præter illa universalia & o-
 mnibus communia dentur quædam & regulæ juris
 & monita prudentiæ, quæ quidem non uni propria
 sint Reipublicæ sed uni aut pluribus populis aut na-
 tionibus ut jus feudale & ejus prudentia, Jus belli
 inter Christianos, jus servitutis &c. Igitur apparet
 dari etiam intermediam speciem Jurisprudentiæ pu-
 blicæ communis, sive Politicæ specialis.

*Notitia Re-
rump.*

§. III.

Ex his conficitur, quod Jus publicum nobis sit
 ea Jurisprudentiæ species, quæ jura ac statum regni
 & Imperii Romani Germanorum secundum leges &
 consuetudines fundamentales docet. Nimirum fi-
 nis tractationis hujus est, non simpliciter leges de
 statu publico sciri facere, quod & Historici esse po-
 terit, sed imo leges ac consuetudines Imperii nostri
 in artem redigendi atque habitum; eumque com-
 municandi cupidæ studii hujus Juventuti, ut eo &
 leges rite interpretandi & de iis judicandi, easve e-
 mendandi; vel novas condendi, item secundum
 eas dijudicandi causas & controversias publicas, ac
 denique secundum easdem atque è Republ. confilia-
 dandi obtineant facultatem. quibus quippe parti-

def. J. Publ.

Finis.

partes

LLat. Se-

nat. Judic.

B

bus

*Prudentia
& Potest.
diff.*

bus perfectus & publici & privati Jurisconsultus absol-
 solvitur. Hic habitus prudentiæ legislatoriæ inter-
 pretatiuæ (quam interpretationem politicam vo-
 cant Hopperus & Conringius, atque in jure quo-
 que privato locum ei vindicant) consultatiuæ & ju-
 diciariæ differt quidem ab ipsa potestate LLatoria &
 ab interpretatione authentica, quam vocant, quip-
 pe quæ ut judiciaria Potestas & Magistratus consti-
 tuendi & deliberationes publicas instituendi, sunt
 partes summæ Majestatis in Republ. Verum tamen
 hujus potestatis anima est prudentia, quam profi-
 temur, absque qua velut directrice interna potestas
 externa nihil prudenter agere valet. Prudentia de-
 nique à justitia divelli nequit, quum sit jurispru-
 dentia h. e. ejus, quod circa statum nostrum publi-
 cum justum est atque utile.

§. IV.

*Origo
ex J. N. G.*

Quod de jure privato dicitur, quod sit tripar-
 titum, id etiam de Jure publico verum est, colle-
 ctum enim & ipsum est ex naturalibus præceptis
 aut gentium aut civilibus. Omnia enim ea, quæ
 Prudentia Civilis aut Politica de Rerumpubl. formis
 ac jure & obligatione imperantium ac parentium
 ex Jure naturali atque Gentium justum atque æquum
 & statui cuique suo conforme ac salutare determi-
 nat generatim: ea Jurispublici Prudentia ad statum
 Reipubl. Germanicæ accommodat: ac præterea
 Civiles leges ac jura non scripta Germanorum ad-
 dit. Nam & Jus nostrum publicum non tantum
 scripto continetur sed etiam usu, interpretatione
 atque

atque consuetudine. Unde ea, quæ lege scripta definita non sunt, usu tamen fori, suffragiis Comitibus atque interpretatione definita esse rectè probantur.

§. V.

Jus itaque Publicum Civile Gentium Germanicarum vix unum olim fuit, quam amplissima nostra natio non uno imperio regnata fuerit, sed in diversas gentes divisa, ac totidem respublikas & instituta. In universum tamen huc pertinent quæ Tacitus de moribus Germanorum in medium protulit, veluti cap. VII. *Reges ex nobilitate, Duces ex virtute sumunt. Nec Regibus infinita aut libera potestas; & Duces exemplo potius quam imperio, si prompti, si conspicui, si ante aciem agant, admiratione presunt. Ceterum neq; animadvertere neq; vincere, neq; verberare quidem nisi Sacerdotibus permissum: non quasi in pœnam, nec ducis jussu sed velut DEO imperante, quem adesse bellantibus credunt.* Hinc fontem capitulationum jam tum cernas ac notes. Huc & cap. XLIII. *Gotones regnantur paulo jam adductius, quam cetera Germanorum Gentes nondum tamen supra libertatem.* Tandem cap. seq. de Syeonum civitatibus ipso in Oceano, ait: *Unus imperitat nullis jam exceptionibus, non precario jure parendi.* Quod autem de jure vincendi Sacerdotum refert, ad disciplinam in bello duntaxat & Comitibus restringendum est, cæteroquin enim & accusationes à Rege & concilio receptæ, & pœnæ ex delicto dictatæ: pars multæ regi vel civitati, pars ipsi qui vindicabatur vel

*Libertas
Comitior.*

propinquis eius, *cap. XII. De Comitiorum libertate cap. XI. De minoribus rebus Principes consultant, de majoribus omnes. ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud Principes pertractentur-Coëunt, nisi quid fortuitum vel subitum incidit, certis diebus, cum aut inchoatur Luna aut impletur. Illud ex libertate vitium, quod non simul, nec iussi conveniunt, sed & alter & tertius dies cunctatione coëuntium absimitur. ut turba placuit consistunt armati. Silentium per Sacerdotes quibus & tum coërcendi jus est imperatur. De Tributis cap. XV. ait: Mos est civitatibus ultrò ac viritim conferre Principibus vel armentorum vel frugum, quod pro honore acceptum, etiam necessitatibus subvenit.*

§. VI.

*In regno
Francorum
primævo*

Francorum gens, Taciti tempore adhuc nomine hoc incognita, sub Tencteris aut Chamavis fortasse tum latitans, sequentibus tamen seculis ac tertio à nato Salvatore, *Societate* cum Romanis contracta jam tum nobilis Trebellio Pollione teste; qua tamen solutâ Rhenum transiens, Toxiandriam locum occupans ut Ammianus Marcellinus Lib. XVII. refert futuri imperii fundamenta jecit, mori majorum inhæserunt in Regum & Ducum Constitutione, in Comitibus agendis & quæ alia statum publicum spectant, uti colligere est ex lege Salica, Alemannorum, Baiivariorum, Ripuariorum & Capitularibus Dagoberti Regis & Successorum. At Carolus M. Rex Francorum adjecit regno Francorum præter Regnum Longobardorum etiam reliquias Imperii Rom. in Italia,

*In
aucto cum
R. Long. &
Rom.*

lia, quæ tum nomine Exarchatus veniebant, & quo imperium in ipsam urbem Romam continebat; idque sub titulo *Patriciatus itemq; Regis Romanorum*, Qua de re exstat Sctum Pontificis S. P. Q. Romani de ann. 774. à Theodorico de Niem Episcopo Verdensi & Cameracensi ac Pronotario Apostolico ex Protocollo Curia Romanæ extractum & Sholiis illustratum. Et capitulare sive epistola Caroli M. ad Offam Merciorum Regem in Anglia in qua se vocat Regem Francorum, Longobardorum & Patricium Romanorum & Regum Christianorum Orientalium potentissimum & qui *Italiam totam* suo imperio subjugaverit, Offam verò appellat Regem Christianorum occidentalium potentissimum.

*Lex Regia
Francorum*

§. VII.

Atque sicuti Carolus hæcenus tria regna conjunxerat, quodlibet titulo singulari, ita post XX. annos & quot excurrunt, etiam *titulus universalis* ab Impp. CPolitanis pro derelicto habitus, IMPERATORIS Romanorum AVG. in occidente, veluti apex superimpositus fuit, quo ipso arctius ista regna sibi invicem unita, atque Imperio ita subordinata, ut etsi singula suas haberent leges, suos status atque ordines, suaque sibi Comitia: in causis tamen communibus etiam universalia Imperii totius Comitia Imperator celebraret. Atque non tantum Comitia sed & Concilia. Et quum Summus inter Reges atque Principes Christianos Occidentales esset Imperator, acquisivit eo ipso quoque Jus Concilii universalis & Directorium in causis etiam mixtis totam Christianitatem

*In
aucto cum
Imperio
Rom.*

nitarem occidentalem concernentibus. Id quod
postea transactio inter Carolum M. & Nicephorum
Imper. orientalem an 810. penitus confecit.

§. IIX.

Francia di-
visio in
orient. &
occid.

Post excessum Caroli M. & Ludovici Pii Impp.
anno 842. XVI. Kal. Martii. Fratres Ludovicus &
Carolus cognomento Calvus foedus contra Lotha-
rium fratrem pacti publicè Argentorati cujus formu-
lam in lingua Romana provinciali & Teudisca exhi-
bet *Nithard. Lib. 3.* regnum Franciæ orientalis & oc-
cidentalis inter sese partiti in Aquispalatio, prima
tunc Franciæ sede, referente eodem *Nithardo L. IV.
pr.* sed anno sequente Lotharius pacem fratribus
obtulit, atque tandem divisio inter eos facta, qua
& *Lotharius* ut Imperator regnum Italiæ una cum
medio tractu Franciæ à Finibus Italiæ usque ad mare
Occidentale (unde *Lotharingia* regnum postea no-
men sortitum) Ludovicus Franciam orientalem h.
e. Burgundiam (ita *Aut. vit. Lud.* sed Burgundia ad
Carolum pervenit. *Baluz. T. 2. capit. p. 195. Regno
p. 58.*) Germaniam magnam, & Carolus Franciam
occidentalem sive Galliam acquisivit. *Vita Lud. Pii.
cap. 19. Annal. Fuld. ann. 843.* Hinc Ludovicus I.
Rex *Germania* nuncupatus, cujus regni fines descri-
psit *H. Conring. L. 1. de finib. c. 3.* Confirmata fuit
ista pactio divisioque in conventu apud Marsiam I.
anno 847. & II. an. 851. atque cum primis an. 860.
Nonis Junii in Castello S. Castoris prope Conflu-
entes ad Rhenum, quæ *Pax Confluentana* dicta fu-
it, quæ & perpetuum foedus inter utrumque regnum
com-

comprehendit, & Legem fundamentalem Regni Germanici primamve Capitulationem scriptam inter regem & ordines. Foedus hoc iterum confirmatum an. 868. in civitate Metensi: secuta denique fuit mortuo Lothario, *regni Lotbaringici divisio*, an. 870. inter Ludovicum & Carolum, cujus instrumentum, una cum prioribus exhibet *St. Baluz. T. 2. Capitul. p. 222.* Eadem confirmata inter Ludovicum II. Regem Germaniæ & Ludovicum Caroli Calvi filium R. Galliæ an. 879. At an. 880. per transactionem inter Ludovici Balbi filios & Ludovicum Regem Germaniæ etiam pars Lotharingiæ quæ ad eos pervenerat, atque aded totum Lotharingiæ Regnum cessum fuit Ludovico Regi Germaniæ cujus rei luculentus est testis *Aimoinus Lib. V. c. 39.* Regino *an. 879.* Tandem Carolomanno R. Galliæ Ludovici Balbi filio mortuo, regnum Galliæ seu Franciæ occidentalis iterum & quasi jure postliminii ad Imperatorem Romanum Carolum Crasum pervenit, testatur id luculenter idem Regino an. 884. ita ut omnia regna Francorum, quæ prædecessores sui non sine sanguinis effusione cum magno labore acquisierant, ipse per facile in brevi temporum spacio sine conflictu, nullo contradicente possidenda perceperit, ut post Carolum M. Majestate, potestate, divitiis, nulli Regum Francorum videretur esse postponendus: relinquens etiam & inconstantia Sortis humanæ, & patientia Christiana illustre post se documentum.

*Reunió to
Carolo IIIa*

§. IX,

Separatio.

Suffecto itaque Arnulpho Carolomanni Bavari filio Imperatore, Galliarum populi, *cum consensu* Arnulphi Ottonem seu Odonem Ducem Regem super se crearunt, *Regino. St. Baluz. Tom. 2. capitul. anno 888.* A quo deficientibus Francorum Principibus regnum occupavit Carolus filius Ludovici II. Regis Galliarum cognomine simplex & cum par Ottoni non esset, patrocinio Arnulphi implorato, regnum ex ejus manu percepit, *Regino an. 893.* qui mortuo Ottone an. 898. demum in regno confirmatus. Lotharingiarum vero regno Arnulphus Imp. filium Zundibolch praefecit an. 895. quem Carolus R. Galliarum an. 898. frustra regno suo depellere conatus; Sed tandem an. 900. proceres regni ad novum Imper. Ludovicum Arnulphi filium transeunt eumque in regnum introducunt, interfecto Zundipol in praelio. Quarum rerum laudatus *Regino testis auctoritatis*, & qui rebus gerendis ipse interfuit. Enimvero an. 923. Carolus simplex Alsatiam & partes illas Franciarum juxta Rhenum usque Moguntiam sibi usurpaturus, usque Patennicheym Villam juxta Wormatiam hostiliter pervenit, teste Reginonis continuatore; Sed Pax & transactio de Lotharingia anterior facta, repetita denuo & novo Sacramento ab Henrico I. Imp. & Carolo Rege & Episcopis atque Comitibus confirmata an. 926. 2. Nonas Novembr. ad Bonnam super Rhenum ut habet instrumentum à St. Baluzio *T. 2. p. 299. Capitulat. Franc.* exhibitum vel, an. 924. ut habet Reginonis continuator, qui formu-

.XI. 2

Formulam Fœderis ita effert: *Fœdus ineunt: & Carolus nunquam sibi amplius Lothariense regnum usurpaturum promittens, regreditur.*

§. X.

Hæc Capitularia, pacta & transactiones leges sunt primævæ fundamentales imperii nostri; line quarum cognitione jus nostrum publicum solido fundamento privatur, sed & Summa porro rerum ad Saxones translata, pacta ista Regia utriusque Franciæ Imperatores quoque Saxonici strenuè observare contenderunt. Otto Magnus Imp. contra Hugonem regni Gallici invasorem Comitibus atque Synodum generalem Ingelheimi A. C. 948. coëgit in Galliam movit atque Ludovicum Regem Galliæ restituit; Cujus Synodi decreta etiam legis fundamentalis rationem habent. Mox idem Imp. regnum Italiæ, & ipsam sedem Romanam ab usurpatoribus regni liberavit, ordinavit, & ad faciem Imperii Carolini majestatem Imperio Romano Germanorum restituit: Repetita tunc fuit lex regia Carolo M. antea lata & quam refert Gratianus can. XXIII. dist. 63. Goldast. t. 1. Const. P. de Marca, L. 8. de C. S. & J. c. 19. 6.

*J. Publ. sub
Imp. Sax.*

§. XI.

Otto III. cum videret secum cessaturum avitum Imperium, atque necessarium esse ut libertas Germanorum Imperii contra æmulos stabiliretur, repeti de novo fecit Legem Regiam, sicut Carolo M. & Ottoni M. in Comitibus sacris Romæ cum Gregorio V. celebratis & constitutum, ut apud solos Germa-

*L. Regia
repetita.*

C

niæ

maniarum Principes jus eligendi Regem firmum permaneret, qui mox à Pontifice consecraretur Imperator.

§. XII.

Origo Elect.

Ex quo ipso enata fuit traditio vulgaris de instituto hic demum Electorali Collegio, cum tamen dudum antea officiales Imperii jus eligendi haberint, de qua re Dn. Præses *de lib. Eccl. Germ. cap. 8.* itemque *Comment. ad Jus feudal. Alam. cap. 11X. §. 4.* Successit electus à Germanis Imp. Henricus cognomento sanctus, cujus exstat constitutio apud *Baronium A. C. 1014. §. VII.* qua sedem Rom. multis ornavit privilegiis, reservata Imperio Summa potestate in sedem & *Patrimonium* quod vocant *Petri.*

§. XIII.

*Mutatio
F. P. sub
Henr. IV.
& V.*

Sub Henrico IV. atque V. Impp. magnam mutationem passum fuit Jus ac libertas Imperii cum sub nomine Investituræ Episcopalis totum jus circa sacra & conciliorum Gregorius VII. prætenderet & qui cum Imp. Henrico IV. resisterent, *Hereseos Henriciana* reos faceret in Synodo an. 1102. habita, *conf. c. 4. X. de elect.* Tandem non sine maxima Christiani sanguinis effusione Henricus V. Imp. resignavit Callisto II. Romano Pontifici *Ecclesiasticas investuras ceteraque spiritualia negotia* quæ tanto tempore Reges Teutonici administraverant, quæque ipse Imp. ne Regni diminueretur honor, nunquam vita comite, se dimissurum proposuerat ait Abbas Ursperg. An. 1122. idque in Comitibus Wormatiensibus.

tiensibus. Diploma resignationis Aurea Bulla Imperatoris signatum exhibet Baronius & ante ipsum Ursperg. sed minus plene. Hinc sub successoribus aucta *Majestas* quae dicebatur *Apostolica* & vicissim querelae de Invasione Imperii, ut tandem Bernhardus Abbas Claravallensis, qui plurimum autoritate sua adjuverat sedem Romanam, poenituerit & *libros V. de consideratione* ad Eugenium III. Papam scripserit, in quorum quarto Papam non Petri sed Constantini successorem se gerere contra Christi interdictum & Apostolorum arguit.

§. XIV.

Ceterum notabile est responsum & foederis renovatio inter Conradum III. Imp. & Joan. Comnenum Imp. CPolat. die 18. April. 1142. ex qua & dependentia quadam Imperii CPolitani & Novae Romae ut filiae, mutuaeque successio apparet, & ceterorum regnorum debita reverentia atque obsequium. Sequuta sub Friderico II. Imp. Aurea Bulla seu Edictum multoties postea repetitum de libertate Ecclesiastica, libris Feudalibus quoque adjectum. Henrico denique VII. Imp. Lex Regia Romae renovata A. 1312. Ludovicus Bavarus Imp. jus Reipubl. atque Imperii veteri gloria reddere aggressus, quo imperante Foedus Electoralis Collegii in Comitibus Rensensibus ad Rhenum A. 1338. constitutum, quod ex Autographo Germanico in latinum versum exhibet Hervvartus A. dicto n. 34. Celebris hic quoque Recessus Imp. A. 1344. in Comitibus Francofurtensibus, apud Goldastum T. 2. itemque alter ibi-

Faed. cum Imp. orient.

dem A. 1347. Cuspiniano referente. & sub Ruper-
 to an. 1409. sed ante hunc notabilissima omnium
 est Aurea Bulla Carolo IV. imperante condita, qua
 Bulla Joannis XXII. Pp. de vicariatu Papali, *c. si fra-*
trum. Extrav. Ne sede vacante. penitus abolita, li-
 bertas Imperii & Electorum libera electio asserta
 fuit. Secuta tamen sub Friderico III. Concordata
 Nationis Germanicæ cum sede Romana An. 1447.
 quæ exhibet Dn. Præs. adjecta Juri Ecelesiastico.
 Quæ tamen ita observata ab ipsa sede, ut mox sub
 Maximiliano & Carolo V. *centum Gravamina* Na-
 tionis Germanicæ contra eandem sedem in Comi-
 tiis publicarentur, quæ exhibet Hordlederus & spe-
 ciatim H. Conringius & Dn. Præs. *de lib. Eccl. Germ.*
 donec tandem *Pax religiosa*, & denique instrumen-
 tum *Pacis Westphalicæ* sequuta fuerunt. Antea
 Constitutiones variæ quoque ad statum tum Sacrum
 tum Civilem, & cum primis ad pacem publicam
 publicatæ, quas omnes *Goldastus* tribus tomis Con-
 stitutionum Imperialium compilavit. Denique
 huc etiam faciunt *jus Alemannicum & Saxonicum*,
 tam feudale quam provinciale, quum in iis plura
 ad notitiam juris publici facientia habeantur. Su-
 periori seculo anno nempe 1500. prodiit privata ad-
 huc autoritate corpus quoddam legum publicarum
 tum promulgatarum sub titulo: *des Heiligen Rö-*
mischen Reichs Unterhaltung. In quo extant
 reformatio Friderici III. Imp. Ordinatio Camerae,
 Constitutio Wormatiensis de P. P. *Handhabung*
ejusdem. Constitutio von dem Reichs-Pfennig.
 Con.

Aurea
BullaConcordata
Nat. Germ.

Gravamina

Cod. Rec.
Impo

Constitutio über die Gottesläster. Handlung des Reichstags zu Augspurg an. 1500. Reichs Regiments-Ordnung & Abschied zu Augspurg. Postea corpus hoc sequentium Comitiorum Recessibus & ordinationibus fuit auctum, idque auctoritate publica Electoris Moguntini, ut A Cancellarii Imperii. Ex quibus patet non ea intentione hoc corpus Recessuum prodiisse, quasi anteriores huic non inserti, auctoritatem suam ac vim legis amisissent: sed imò retinuerunt utique vi semel factæ promulgationis, nisi sicubi legibus posterioribus aliquid derogatum probetur. *conf. Maurit. de Recess. Imp.*

§. XV.

Scriptores Juris publici etsi serius videntur prodiisse, atque maxime occasione bellorum civilium inter Imp. & Papas. Id tamen mox post Carolum M. sub Ludovico Pio coeptum, quando bello Civili inter Patrem & filios orto Gregorius IV. sese intermiscuit, & Clerus Gallicanus atque Germanicus diversas partes fecit. Quò faciunt *S. Agobardi* AEpisc. Lugdunensis *Epistola ad Ludovicum Imp.* Itemque de comparatione utriusque regiminis *Ecclesiastici & Politici, & in quibus præfulgeat Ecclesia dignitas Imperiorum Majestati.* Et ejusdem *liber Apologeticus pro filiis Ludovici adversus Patrem.* Sub Henrico III. Imp. *Petrus Damiani* Episcopus Ostiensis in libello *de correctione Episcopi & Pape.* itemque *de contemptu seculi.* & aliis. Sub Henrico IV. *Gotfridus* Abbas Vindocinensis pro

*Scriptores
F. P.
Veteres.*



jure investituræ Papæ competenti; itemque Hugo
 Floriacensis libello de regia potestate & sacerdotali
 dignitate. Edidit Sr. Baluz. lib. IV. Miscell. p. 9.
 Sed & S. Bernhardus huc recensetur, Abbas Clare-
 wallensis in libris V. de consideratione ad Eugenium
 Papam. Nomen etiam hic faciunt Petrus Abailar-
 dus & Arnoldus Brixienfis, de quibus Natalis Ale-
 xander Vol. 3. select. bist. Eccles. atque alii plures,
 quos ferè collegit Goldastus lib. I. & II. Monarchie
 S. R. I. Eminuerunt mox Lupoldus de Bebenburg
 Episcopus Bambergensis de Zelo Christianæ religio-
 nis veterum Principum Germanorum. Itemque de
 juribus regni & Imperii Romani. cum notis M. Fre-
 heri. Petrus de Andlo: Marsilius Patavinus: Theo-
 doricus à Niem, & Nicolaus de Cusa, qui in alijs
 Pontificum Cæsarumque, atque in ipsius erum ar-
 gumentis versati, plurima posteris reliquerunt, quæ
 cum primis ad statum Reipubl. penitus cognoscen-
 dum, sed & emendandum, atque adeò ad pruden-
 tiam Juris Publici LLatoriam atque consultativam
 faciunt. Nec omitendus hic Æneas Sylvius, Se-
 cretarius Status Imperatoris, Cardinalis postea &
 mox Papa: secuti hos alii, quorum præcipuos
 Goldastus in tomis suis præsertim tertio de Monar-
 chia, itemque in Politicis Imperialibus congerit,
 itemque Simon Scharinus JC. in Syntagmate Tra-
 ctatum de Imperiali Jurisdictione & præeminen-
 tia ac potestate Ecclesiastica, impress. Argent. 1609.
 Recentiores hujus Seculi alias noti sunt, Goldastus,
 Hortlederus, Strauchius, Paurmeisterus, Reinkin-
 gius,

Recent.

gius, Arumæus, Schuzius, Otto, Lampadius, Limæus, Conringius, Lehmannus, Bœclerus & alii plurimi, quorum quemlibet sua manet laus, suisque honos. Scriptores Juris Publici aliarum Re- rum publ. veluti regni Suecici Helvetiorum & alio- rum regnorum relatos vid. ap. Er. Mauriti. de *Prin- cipiis Juris Publici Germanici* c. 2. §. 3. 22 ab 229

§. XVI.

Præter fundamenta Juris nostri Publici in Ju- re Naturali, Gentium & Civili nostro, etiam Ju- ris Romani atque Justinianei, præsertim *publici*, usus hic est: non quidem quoad ipsam Reipubl. formam, quæ valde diversa est, sed in aliis tamen ejus partibus. Imò & *privati* quoque Juris Ro- mani usus est inter Status Imperii, postquam jure diffidationis & duelli remoto, per viam juris con- troversiarum illorum in Summis Tribunalibus deci- duntur, quanquam & in his jus Romanum, non in totum receptum, sed in subsidium & supplemen- tum juris proprii. *V. §. XIX.* Juris quoque CA- NONICI suus hic usus est. Certè Codex Cano- num Ecclesiæ universæ, qui primordia Juris Cano- nici continet, à Justiniano confirmatus & vim le- gum fortitus per *Novell. 6. c. 1. §. 8. Novell. CXXVI. §. 1.* Sed & *DECRETI* atque *DECRETALIVM* usus quidam est, quam in rem allegantur Friderici II. & Rudolphi I. Impp. constitutiones, quod ta- men sic habendum, non quod iis Decretum & De- cretales etiam in vim legum promulgatz fuerint, sed

Usus
J. Romæ

J. Cano

ob

sed

sed eodem modo quo Jus Justinianicum receptum: usus quippe horum restrictus utique est ad leges nostras publicas & consuetudines Germaniæ ut constat ex Instrum. Pacis Westphal. art. XIII. §. 6. Sed quod attinet librum *sextum decretalium* in foro Juris Publici non æquè receptus est, *vid. Duaren. Pref. de SS. Ecclesia Minist. & Zigler. de Orig. J. Can. §. 52. De Clementinis* sive ut olim dicebantur, *de septimo Decretalium libro, & Extravagan- tibus Joh. XXII. idem habendum vid. Aventin. Lib. VII. p. 462.* Qui verò hodie *septimus Decretalium* liber audit, privato ausu à Petro Wesenbecio J.C. Lugdunensi anno 1590. concinnatus non censetur authenticus *judice Lud. Engl. Proæm. Coll. Jur. Can. num. 11.*

§. XVII.

*Jus Publ.
non script.*

Sicut in causis privatorum jus à prudentibus disputatione fori compositum, sine scripto venit, ut Pomponius *L. 2. §. 5. 12. de O. I.* ait: ita & in causis publicis interpretatio prudentum, atque imprimis suffragia Statuum in Comitibus, & rationes atque interpretationes inibi allegatæ atque dictatæ, etsi in promulgationem non veniant, speciem tamen juris non scripti constituunt, atque jus utique faciunt. Quo pertinent omnino suffragia atque vota tam Imperatoris quam Statuum, quibus ratio atque interpretatio alicujus juris publici articuli exponitur v. g. quæ durantibus Pacis Westphalicæ tractatibus, lata fuerunt, de octavo Electoratu erigen-
do

do non nisi ex communi Statuum Comitiali consensu atque approbatione. Sunt enim hæc species interpretationis authenticæ legum scriptarum, adeoque jus faciunt omnino. Unde non semper lex prohibitiva requiritur, ne quid in fraudem legis fiat, sed potest id fieri etiam absque expressa prohibitione. Fraus enim fit, ait *Ulpianus L. 30. de LL.* ubi id fit, quod fieri lex noluit, fieri autem non vetuit: & quod distat *πρὸς τὸ διαβολῆς*, hoc distat fraus ab eo quod contra legem fit. Pertinet etiam huc stylus Curie tam Comitialis quam Aulicæ & Cameralis aliorumque Tribunalium atque Regiminum.

§. XIIX.

Methodus Jurisprudentiæ publicæ tradendæ non alia est, quam privatæ, & omnium Prudentiæ specierum, h. e. *Analytica*, quæ à fine, per objectum ad actiones progreditur. Quæ tamen hæcenus vix fuit observata, nisi à B. Strauchio nostro atque Dn. Rhetio; unde est, quod alii Scriptores minus plenè Jus Publicum exposuerint. Sciendum enim est, quod objectum juris publici sit *duplex*, unum proprium, alterum *commune* cum privato jure. Illud communiter solum exposuerunt, h. e. ea quæ tum circa personas Imperatoris & Statuum, tum circa res & territoria versantur. At præterea dantur etiam actus Principum & personarum illustrium, qui etiam statum publicum vel

Method.
J. P.

D

Impe-

Imperii vel Provinciæ aut Territorii immediatè concernunt, ut Nuptiæ, Testamenti factio & similes, qui cum privatis tamen sunt communes; neque tamen iisdem regulis juris per omnia censentur. Verum regulæ juris privati in Principibus & personis illustribus sæpiusculè alterantur, requirente hoc tum conditione harum personarum tum ipsarum rerum, tum verò formæ ac Status Reipublicæ de quibus singulatim quidem nonnulli scripserunt, ut Mylerus *Gamologiam*, Dn. de Eyben *de Testam. Princip.* Bethius *de Pactis famil. illustr.* Kellenbenz *de Renunc. personarum illustrium.* Husan. *de Homin. Propriis &c.*

§. XIX.

*Interpretatio
110 J. P.*

Interpretatio Juris publici communibus interpretandi regulis dirigitur, de quibus H. Grotius *de Jur. Bell. L. 2. cap. XVI.* Jus & potestas interpretandi sanctiones pragmaticas est penes potestatem LLatoriam, quoribus super voluntate & sensu LLatoris ambigitur, *L. 96. de Regul. Jur. & Instrument. Pacis Westphal. Artic. IIX. §. 2.* quam interpretationem vocant *Authenticam*; veruntamen voluntatem Principis aut LLatoris inspiciendi fas est Jurisprudenti, *L. 45. §. 1. π. de vulg. & pupill. subst.* ne tamen abusus intercedat aut præjudicium menti LLatoris, *Instrument. Pacis Art. V. §. utriusque relig. §. 50.*

§. XX. Illud

Illud adhuc videndum hic, an Status ac Principes Imperii & earum causæ circa successiones imprimis & similes, sint dijudicandæ ex Jure Imperii communi vel potius ex cujusque Principis ac Status Jure proprio Provinciali; v. g. Principum Saxoniorum causæ ex Jure Saxonico: Burgundicorum ex Jure Burgundico: Affirmat autor tract. qui inscribitur, *Reginae Christianissimæ Jura in Ducatum Brabantia & alios dittonis Hispanica Principatus p. 188.* Et in observ. advers. respons. *Hisp. p. 20. seqq.* ubi in genere defendit: Principum successiones secundum jus & consuetudinem provinciae in qua succedit, fieri debere. Quo pertinet quod habet *Chronicon Belgicum Magnum p. 309.* ibi: *devolutionis titulo.* Idem decrevit Imp. Rudolphus II. de successione in Ducatus Silesia, quæ exhibet *Henelius de dotalit. p. 157.* Jure Saxonico Provinciali l. 3. art. 33. sancitum: Rex non secundum hominis tam actoris quam rei jura, sed secundum Jus Provinciae in qua consistit proprietas judicabit. ubi Gloss. Germ. *Wie der Römische König dem Sachsen dieses Recht gegeben hat / daß ein ieglicher im Lande zu Sachsen sich des Lands und nicht seinen angebohrnen Rechten nach halten muß / er seye auch von wannen er wolle / denn dieses Rechtens Privilegium ist dem Lande zu Sachsen und nicht denen Personen*

Quæ

Affirm.

sonen gegeben &c. In eandem sententiam vid. etiam Jus Allemannicum Provinciale c. 286. in fin. Certum enim est quod Provinciæ à Francis tunc dependentes ut Saxonia, Alemannia, Bavaria &c. leges suas habuerint etiam à Francorum Regibus & Imperatoribus emendatas & confirmatas, antequam successu temporis Imperium ipsarum Provinciarum pervenit à Præsilibus sive Ducibus sive Comitibus jure Magistratus, ad Vassos seu Capitaneos Duces & Comites jure Vasallagii aut etiam ad ejusmodi Dominos jure statuum regni atque jure allodii: Igitur qui sive Jure Magistratus sive Jure Vasallagii sive Jure Allodii imperium provinciæ alicujus acquirit, acquirit istud in statu quò & secundum easdem leges & cum obligatione ad eas, nisi exemptio expressa probetur: neque enim credendum est Jus Saxonicum v. g. Feudale privatis tantum ac subditis Ducum Saxonix esse præscriptum, sed imò & Duces ipsos obligat, eoque jure ipsi uti & voluerunt & consueverunt: Comprobant hoc & Clypei militares omnis generis Juri Saxonico & Alemannico in principio statim tanquam pro fundamento aliquo subjecti, adeo ut necessarium rati fuerint Proceres Germanix ut si contingeret ut Saxo quidam ad imperii axioma eligeretur, per privilegium demum is à Jure Saxonico exemptus esset atque Jure Franconico sive Alemannico gauderet vid. J. Sax. Prov. lib. 3. artic. 54. Jus Aleman. c. 148. Idem confirmat &

Aur.

Aur. Bull. de Vicariis Imp. Ducem seu Electorem Saxoniae Sacr. Imperii Archimarschallum Vicariatus jure gaudere in illis locis ubi Saxonica jura servantur c. 5. nullo discrimine adhibito inter Status Imperii Saxonicos & inter horum subditos: certè tantum abest ut Principes Imperii imprimis Saxonici *αὐτονομίας* alias tenaciores Jus Commune quod vocant i. e. Justinianicum & Longobardicum in suis causis & quantum ad Jus Publicum acceperint ut potius magno nisu olim contradictum ei fuerit ut patet ex Reformat. Friderici III. in Comitibus Moguntinens. an. 1441. proposita quæ exhibetur à Goldasto *part. 1. Reichsſatzung. pag. 166. & 312.* & à Conring. *de Orig. Jur. Germ. c. 32.* quæ reformatio etsi non valet in vim legis publicæ, habet tamen vim contradictionis publicæ, cujus effectus is saltem fuit ut Principes suam *αὐτονομίαν* mantenerent in causis Principum vid. Decret. Sigism. Imper. apud Goldast. *p. 2. Reichsſatzung. P. 99.* Conring. *d. L. C. 33.* id quod etiam experientia circa pacta successoria, donationes, testamenta & alia comprobat. Idem enim observatum in pactis familiæ domus Saxoniae veluti in pacto divisorio & successorio Joh. Frider. Elect. & fratris Joh. Ernesti Coburgensis anno 1542. Itemque in Codicillis Friderici Wilhelmi, Ducis Sax. Altenburgici, anno 1668. Atque hoc esse vetustissimum jus ac morem Gentium Teutonicarum, constat ex legibus Wisigothorum *lib. 2. tit. 2.* quod

tam regia potestas quam populorum universitas legum suarum reverentiæ sit subjecta. Idem de Friderico I. Imp. refert Lehman. *Chron. Lib. V. cap. 58.* Itaque observare licet quod Jus Romanum hæcenus quod Princeps solutus sit legibus civilibus Jure Publico Germanorum nunquam fuit admissum ; idque ex diversa Imperii forma, quæ Romanis Impp. olim erat merè absoluta, contra verò Teutonicæ & Francicæ ac Saxonicæ Reipubl. forma semper fuit restricta, qua de re supra aliquid dictum, vid. Jacob. Gothofredi *Orat. Polit. III. Ulpianum.* Nec alia mens Luitprandi Regis Longobardorum *Lib. 2. T. 6. cap. 1.* ibi : *Filii ex Romano & Longobarda nati secundum Legem Patris Romani sunt, non secundum Jus Longobardicum censentur.* V. Goldast. *de Regno Bohem. L. 4. cap. 10. pag. 504.* Limnæi *Notit. Gall. lib. 2. cap. 22.* Henricus Kinschot. *Tract. de Rescriptis gratiæ Brabantinis.* Fürstellung daß die Success. an dem Fürstenthum Nieder-Sachsen dem Hause Anhalt &c. anno 1671. Limitatur tamen hæc regula quoad Jus Commune Provinciale, vel Regni ; & excipiuntur itaque jura singularia & statutaria civitatum & politiarum vid. Myler. *de Stat. Imper. cap. 35.* & *in Gamolog. cap. 21. num. 3.* Excipitur porro Imperator, qui etsi alterius sit nationis, Germanicæ tamen v. gr. Saxonicæ, nihilominus censetur Jure Francico seu Alemanni-

co ut supra dictum , glossa Jur. Saxon. feudal.
cap. 4. Quæ exceptio confirmat regulam, quod
Princeps qui non est Imperator utatur ju-
re proprio, suæ nationis atque
Provincia.

FINIS.



QX TA 4460

co in signis et coloribus, gloriis, in saxonia
cap. 4. Quae ex parte continentur regulam, quod
Princeps qui non est Imperator, non
se proprio, sed nono signis
Principis.

FINIS




ant

3
7



*Prudentia
& Potest.
diff.*


*Origo
ex J. N. G.*



Kodak
LICENSED PRODUCT

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



risconsultus ab-
gislatoriæ inter-
politicam vo-
e in iure quo-
nsultativæ & ju-
tate LLatoria &
n vocant, quip-
gistratus consti-
stituendi, sunt
Ve um tamen
, quam profi-
nterna potestas
Prudentia de-
m sit jurispru-
nostrum publi-

quod sit tripar-
rum est, colle-
libus præceptis
enim ea, quæ
mpubl. formis
ac parentium
n atque æquum
lutare determi-
entia ad statum
: ac præterea
rmanorum ad-
n non tantum
nterpretatione
atque

